

De hydrothorace : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Stanislaus Salomo Kronenberg.

Contributors

Kronenberg, Stanislaus Salomo.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1832.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jwb6hq5s>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7

DE
HYDROTHORACE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIIDERICA GUILLEM
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICÉ DEFENSURUS EST

AUCTOR

STANISLAUS. SALOMO KRONENBERG
VARSAVIENSIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE MAGISTER.

OPPONENTIBUS:

STRASSBERGER, MED. ET CHIR. DD.

BEREND, MED. ET CHIR. DD.

SAULSOHN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22483470>

PROOEMIUM.

Morbus, de quo tractaturus sum, est malum, quod sat saepe accidit, et quod pejus, ad genus illorum pertinet morborum, qui saepissime pertinacissimi characteris, post diuturnos cruciatus, morte terminantur.

Falleris magnopere, si credis nos carere remediis, quibus morbo huic obviam eamus. Est immo medicaminum farrago insignis — medicaminum, quae pollent virtute morbum debellandi — uti hoc suadent historiae hydrothoracis feliciter superati — si vero ea saepissime incassum adhibita legimus, hoc in causa est, quod morbi istius cognitio, in primordio praecipue, ardua sit; unde fit, ut remedia illi adaptata in usum vocari soleant tum, quum jam morbus evidenter se pronunciet, quando caput erexerit, omniaque jam

medici eludat conamina. Diagnosis igitur morbi
hujus tenebris circumfusa sola in causa est, cur
morbus hic adeo insidiosum sistat flagellum.
Multa traduntur symptomata ad morbum hunc
cognoscendum, haec vero variis ab auctoribus
tradita, per varia scripta sunt dissipata — ma-
xima eorum pars reliquis pectoris morbis com-
munis est — ea quae ab aliis pathognomonica
vocantur, ab aliis dubia habentur, alia denique
immerito nihili aestimantur. Quamobrem ope-
rae pretium fore credimus, quum omnia, quae
symptomatibus hydrothoracis adnumerantur, col-
ligamus, eorum examen auctoritate scriptorum
de arte medica maxime meritorum innixi, insti-
tuamus, in quantum illis fides tribuenda sit in-
quiramus, atque illustremus, quibus ab aliis mor-
bis, illi simillimis, differat symptomatibus.

Definitio. **H**ydrothoracis nomine suturatur quaevis morbos serosi, plus minus gelatinosi, lymphatici, nonnunquam et mucosi fluidi in thoracis cavo collectio ¹).

Dividitur hydrothorax quoad sedem in:

1. hydropem cavitatum pleurae, 2. h. mediastini, 3. h. pleurae spurium, 4. h. pulmonum, 5. h. pericardii, 6. h. saccatum.

Hydrops cavitatum plenrae.

(Hydrothorax stricto sensu.)

Aquae in cavitatibus pleurae pulmones ambientis inclusae sunt.

Symptomata. Morbum evolvendum praecedit nonnunquam a longo tempore insigne saepe revertens urinae mittendi desiderium, hac tamen in respondentे copia non secedente, siccitas oris et sitis magna. Praeterea horror saepius intercurrens in totius thoracis ambitu vel uno illius latere, aut in directione columnae vertebralis, quin tamen talis frigoris sensus in reliquis corporis partibus persentiatur ²) — ingrata sensatio post pastum — aeger fit morosus, delassatus quasi, omnes motus corporis evidenter horret Admodum molestus sensus plenitudinis, ponderis, et con-

1) Richter Specielle Therapie Bd. III. p. 199. —

2) Schmalz Versuch einer Diagnostik. Dresd. S25. T. 38. Nr. 851. Itard in Dict. d. sc. medicales. T. XXI. p. 491, „une disposition remarquable à frissonner.“

strictionis in pectore ¹), dolores vagi juxta scapulas, dorsum, hypochondria, extremitates superiores, musculosve pectoris (rheumatismus hydrothoracicus) ²), respiratio redditur difficultis - brevis et sibilosa; inspiratio praecipue aegre peragitur - exspiratio facilior est, saepe in fine peculiari strepitu insignita, vel uti eloquitur Himly, quaecunque exspiratio brevem appendicem habere videtur. Tussis concomitatur sicca. Dyspnoea augetur praesertim, si aeger crebrius moveatur scalasve ascendat, sub tempestate humida, post cibos largius ingestos, et in certis corporis positionibus. Tempestivum signum istius morbi sistit etiam, anxietas peculiaris, quae aegrum vix obdormitum ingruit ³). Si aquarum non magna est quantitas et in uno solummodo latere, illi aegrotus incumbere consuevit — si vero insignis est, dorso incubit, semper tamen magis latus affectum versus inclinatur — (decubitus diagonalis) ⁴).

Morbo progreidente, augetur dyspnoea. — Facies aegri peculiaris quid exhibet, fit etenim pallida, tumidula, oculi langvidi lacrymantes ⁵) protrusi, vasa illorum sanguine varicose distensa ⁶). Palpebrae inferiores pallidae oedematose intumescunt ⁷), sacci quasi formantur sub oculis (hypophthalmia), circa

1) De Haen Ratio medendi. T. 2. — 2) Vogel Diss. de hydrope pect. Goett. 1736. Drussig Handb. d. Diagn. T. 1. p. 392. — 3) Berends Vorlesungen über praktische Arzn. 1828. Bd. V. p. 97. — 4) Andral Clinique medical, 2 Partie. Par. 824. Obs. XII. p. 430. etc. „Ce dernier decubitus est caractéristique.“ — 5) P. Frank Epitome Lib. VI. P. 1. p. 230. J. Frank Prax. med. p. 2. V. 2. V 1. p. 679. — 6) Camper über die Natur und Behandl. d. Wassersucht in Samml. auserl. Abh. Bd. XVI. p. 479. — 7) Schroeder van der Kolk Neue Samml. auserl. Abh. 829. Bd. XII. p. 672. Itard I. c.

labia oris et alas nasi color plumbeus lividus seu pallior peculiaris observatur¹⁾). Nonnunquam in hoc stadio morbi jam mane intumescentia manuum, testium, vel quod saepissime, pedum, circa maleolos praesertim, in conspectum venit²⁾ quae intumescentia inversam ut plurimum rationem cum dyspnoea tenet adeo, ut quum illa appareat, haec minuatur. Vel minima occasione data invadunt motus febriles per aliquot dies durantes, sensatione dolorifica, pulsu frequente duriusculo sociis, qui terminantur apparentibus sudoribus et lateritio in urinis sedimento³⁾.

Morbo evoluto aegrotus decubitus supinum per longum tempus servare nequit - quaerit immo situm erectum cum thorace antrorsum flexo, respiratio difficulter, magna cum agitatione muscularum abdominalium peragitur. Omnia incommoda ad noctem augentur. Vix obdornitus (saepissime hora tertia) derepente cum terrore exergefit aegrotus, cupide aërem inspirat, tremore corripitur, extremitates frigescunt, facies sudore frigido irroratur, pulsus vix tanguntur et aeger anxius lectum fugit; nonnisi primo diluculo levis somnus fractas reficit vires. Insultus similes, initio rariores, postea omni fere nocte excruciant aegrum. Tussis nunc fit humida, sputa sunt viscosa, spumosa, serosa⁴⁾ interdum sanguinea⁵⁾, et nonnunquam magna copia rejiciuntur⁶⁾. Loquela intersecta, vox semper rauca⁷⁾. Pulsus consuetim

1) Camper l. c. — 2) J. Frank l. c. — 3) Berends l. c. p. 98.: „ein ziemlich sicheres Zeichen etc.“ — 4) Haase Ueber die Erk. und Kur der chr. Kr. III. Bd. 1. Abth. p. 414. — 5) Quarini Animadv. practicae Cap. VII. p. 126. „Saepius in hoc morbo ejusmodi sputa (cruenta) apparent.“ Bang Praxis Med. Hafn. 818. p. 539. — 6) Haase l. c. p. 414. — 7) Reil Diss. de vocis et loquelae vitiis. Hal. 1795. p. 15.

parvus, seu intermittens, in utrisque brachiis non semper aequalis tangitur — nonnunquam vero plenus et durus¹). — Urinae parcae, crassae turbidae, sedimento lateritio insignitae Alvi excretio impedita²). Linguae color nigrescens seu bruneo-ruber³) vel copioso muco saepissime in uno latere tecta. Nunc jam evidenter in conspectum veniunt oedemata faciei, extremitatum superiorum vel inferiorum atque genitalium. Cutis eodem tempore sicca aridaque redditur⁴). Ex pressione diaphragmatis, tumet epigastrium et hypochondria non raro dolor in istis regionibus persentitur. In uno solummodo pleurae sacco si serum continetur, thorax nonnunquam in hoc latere magis dilatatur quam altero, adeo ut et majorem convexitatem offerat et costae a se magis dehiscant⁵). Non raro extremitates superiores aut inferiores lateris affecti paralysi corripiuntur⁶). Seri magna copia praesente, visa etiam est incurvatio columnae vertebralis et costarum, atque tunc saepissime adest oadeinatosa intumescentia tegumentorum externorum praecipue in regione musculi latissimi dorsi. Quoties derepente mutatur situs corporis, aut illud conquassatur, undulantem aquam distincte percipi dicunt nonnulli⁷). Stethoscopii ope strepitus respiratorius percipitur admodum debilis vel nullus illiusque loco auditur sic dicta Aegophonia⁸). Per-

1) Stoll, Vorl. üb. einige langwierige Kr. Wien 1788.
 Frank l. c. Sundelin in Berends Vorl. — 2) Richter l. c. — 3) Fordyce Fragm. chir. et medica cit. ap. Richt. p. 205. — 4) Berends l. c. p. 45. — 5) Laenec Traité de l'auscultation mediate etc. Brux. 1828. T. 2. p. 23. — 6) Quarín l. c. — 7) Hippocrates Lib. III. De Morbis C. XV. Stoll l. c. p. 88. P. Frank l. c. §. 739 et alii. — 8) Laenec l. c.

cussus thorax sonum solito obscuriorem similem percussi dolii pleni sono, edit¹⁾).

Caeterum quoad decursum morbi nil certi habetur. Nonnunquam brevi tempore summum attingit gradum, saepius tamen chronicum induit characterem, lente procedit et per nonnullos annos excruciat aegrum. Non raro in illius decursu intermissiones observantur, aegrotus per aliquod tempus levamen insigne experitur, et postea, tempore praesertim humido denuo malum redux. Generatim respirationis difficilior evadit, aegrotus nonnisi corpore erecto antrorum flexo spiritum ducere potest. Insultus suffocationis validiores et per longius tempus aegros detinent. Tussis vehemens — de cubito in lecto actum est adeo ut diu noctuque sedere coactus sit aeger. — Fit ille soporosus — pulsus irregularis vix sensibilis — membra frigescunt, accedunt deliria, animi deliquia, donec suffocatio tot molestiis imponat finem.

Jam quaedam de gravioribus symptomatibus speciatim.

Quoad Dyspnoeam: Respiratio brevis, anhelans inter motus corporis et in tempore humido praecipue evidens, ab omnibus fere medicis ad principalia morbi istius symptomata numeratur. Dantur tamen quamquam raro exempla, praesente in cavo thoracis sero et quidem sat notabili copia, dyspnoeam nequaquam adfuisse. P. Frank²⁾ de duobus narrat aegrotis, qui scalas ascendere poterant sine ulla turbatione respirationis, nihilominus autopsia thoracem aqua plenum detexit. Nec non memoratae dignae sunt historiae aurigae atque pharmaciae stu-

1) Auenbrugger Juventum novum ex percussione thoracis humani, ut signo abstrusos morb. detegendos, Vindob. 1761. — 2) Epitome Lib. 7. §. 739.

diosi, de quibus narrat Andral ¹⁾ quorum respiratio praesente insigni hydrophorace, immunis exstitit.

Situs. Sunt etiam exempla quae, ex situ quem aegri eligant non semper cum certitudine de latere in quo serum haereat concludendum esse, docent. Sic Ludwig ²⁾ hydrope lateris sinistri laborantes, dextro lateri sine molestia incumbentes vidi et viceversa. Testatur hocce etiam Morgagni ³⁾; quid vero? visi sunt aegroti qui utriusque lateri, humili capite incubuere, utrumque tamen pectoris cavum aquis impletum a morte exhibuere ⁴⁾. —

Verum etsi concedamus interdum fieri posse, ut aegroti hydrothorace laborantes et supinam positionem tolerent, nec ullam respirationis difficultatem, nisi paulo ante mortem experiantur, saepe tamen dubitandum esse credimus, num revera in istis casibus hydrops thoracis ante adsuerit, neve potius paulo ante mortem supervenerit — praesertim cum a priori explicatu difficile videatur, serum in pectore impune per aliquod tempus posse latere, neque inter motum vivum, ascensum locorum accliviorum, respirationem turbari, quam ob rationem multum mihi arridet Burserius quippe qui ait ⁵⁾. »Non semper fortasse credendum est eos, in quibus liberum et facilem quemcunque decubitum facilemque respirationem fuisse narrant historiae medicae, vere tum hydropicos existisse; sed potius postremo tantum vitae tempore in hydrothoracem incidisse, ideoque eorum pectus aqua repletum prosectoribus apparuisse« — Merito

1) Med. clinique T. 2. Obs. p. 420 et 422. — 2) Adversar. VII. P. IV. p. 636. — 3) Morgagni De sedeb. et causis morb. T. 1. L. II. Th. XVI. Nro. 10 et 13. — 4) P. Frank I. c. §. 739 et Itard Dict. d. Scimed. T. XXII. p. 445. — s. Institutiones med. pract. V. VI. Lipsiae 1798. §. 166. p. 158.

igitur respiratio laesa symptoma constans, etiam in exordio morbi, observari potest. Quoad decubitum vero nequaquam assentimur opinioni Cookii ¹⁾ semper in positione supina dyspnoeam omnino minorem fieri quam in erecta, contraria etenim plus vice observavi observaruntque alii. —

Dolor ad scapulas quem Vogel ²⁾ pro es- Dolor.
sentiali morbi hujus signo habet, non semper adest ³⁾.

Repentinam e somno excitationem atque Excitatio su-
anxietates nocturnas plurimi medici pro signo bitanea.
pathognomonic nobis obtulere, et illorum primus
Carolus Piso ⁴⁾. — Jacobus Vicarius ⁵⁾ adeo mag-
nam hū signo fiduciam dedit ut, si illud adfuerit,
jurare se posse crederet infallibiliter aegrum hy-
drope pectoris laborare — quod vero postea fallax
esse aliquoties expertus, exceptionem excogitavit,
signum illud non valere nisi pedes post ipsum, non
ante ipsum intumuerint ⁶⁾. Ex recentioribus Cullenius ⁷⁾ hoc symptoma certum arbitratur adeo, ut si
praeter hanc subitaneam somni interruptionem vel
minima adfuerit respirationis difficultas, de hydrope
pectoris non dubitandum esse autemet. Alii uti Qua-
rin ⁸⁾ J. Frank ⁹⁾ Richter ¹⁰⁾ quamquam non eam
quam Cullenius signo huic fiduciam tribuunt, inter
symptomata tamen certiora, Haase ¹¹⁾ vero inter con-

1) Vide Camper in Samml. auserl. Abh. Bd. XVI. p. 479. — 2) Diss. de hydrope pectoris. — 3) Dreissig Handb. d. med. Diagnostik. Erfurt 1803. T. I. p. 391. — 4) De morb. e sreosa colluvie ortis — De hydrope pectoris. — 5) Vide Morgagnium Ep. XVI. Nr. 11. — 6) Morgagni I. c. Burse-rius Inst. V. IV. §. 67. — 7) William Cullen Anfanasgr. d. pr. Arzn. 2te Aufl. Leipz. 1789. Bd. IV. §. 1701. p. 196. — 8) Animadv. practicae C. VII. p. 124. — 9) Prax. Med. P. 2. V. 2. S. 1. p. 682. — 10) Richter op. c. T. IV. p. 204. — 11) Ueber die Erk. u. Cur d. Chro. Kr. 3. Bd. 1. Abth. p. 414.

stantia, recensent. Berends¹⁾ praeterea, nisi repentinam excitationem, quae in proiecto demum morbo in conspectum venire solet, — anxietatem peculiarem tamen et incommoda quaedam vix verbis designanda, in ipso exordio morbi jam noctu apparere, existimat; quod bene notandum. De Haen²⁾ revera et Morgagni³⁾ historias hydrothorace laborantium in medium adduxerunt, in quibus quamquam aqua in cadavere larga deprehensa fuerit, nocturnae tamen anxietates vel diu siluere vel omnino non adfuerunt; nihilominus tamen exempla similia admodum rara sunt, ipseque Morgagni ait⁴⁾ »nec vero negari potest, si ad caetera indicia hoc quoque accesserit, ut »hominem a primo somno repente excitet gravior »spirandi difficultas, veram saepe esse conjecturam, »thoracis hydrope laborare.« Quae cum ita sint symptoma hoc nisi fere pathognomonicum, semper tamen maximi esse momenti, statuendum. — Auctorum nonnulli⁵⁾ illos insultus nocturnos a meris vietiis cordis derivant, cui tamen opinioni non assentimur, compertum est enim »vitia cordis et aortae non facile insultus nocturnos exhibere, antequam oedema scroti aut pedum de evolutione hydrothoracis testentur⁶⁾. Refragatur praeterea illi opinioni historia morbi, quam legimus in Margagnio⁷⁾ de juvne muliere, quam tussis et respirationis difficultas noctu praecipue vexarunt, quin tamen post mortem aliqua cordis abnormitas detegi potuerit — ac vel magis casus quem observandi occasio mihi fuit nuperrime

1) Op. c. B. 5. p. 98. — 2) Ratio Medendi Vennae. 1767. P. V. C. III. p. 103. — 3) I. c. — 4) Op. c. Ep. XVI. §. 11. p. 274 — 275. — 5) Corvisart. Portal. — 6) J. Frank. Op. c. p. 697. — 7) Op. c. Ep. XVI. §. 10. p. 274.

Berolini in Nosocomio Caritatis, aegrotus scilicet quavis fere nocte insultu asthmatico corripiebatur: post mortem hydrops cavi pleurae inventus suit, organicum cordis vitium nullum. —

Notum dignum est praeterea, talem repentinam, somni interruptionem, locum saepe habere, ex causa haemorrhagiae alicujus retentae, uti post silentem haemorrhoidum fluxum, praecipue vero apud foeminas, postquam menstrua retenta aut obstructa fuerint, quo casu cum praeterea concomitari soleat oppressio pectoris et pedes paululum intumescant, facile medicus in errorem duci posset¹⁾.

Livedo nasi, labiorum, et varicosa distensione vasorum oculi, magni est momenti ad diagnosis hujus morbi²⁾ sed non pathognomonicum signum, uti contendit Camper³⁾.

Oedematosae intumescentiae variarum Oedemata partium corporis uti pedum, manuum, scrotri, praecipue vero hypochondriorum aliis concomitantibus symptomatibus certum signum hydropsis pectoris statuant — praesertim dum illarum augmentum aut minutio inversam rationem cum dyspnoeae gradu servat. Verum tamen hoc distinctum hydrothoracis signum morbo jam ad altum proiecto in conspectum venire solet. — Schroeder van der Kolk⁴⁾ pallidam, oedematosam intumescentiam palpebrarum inferiarum, concomitante praesertim oedemate pedum, adeo non fallens hydrothoracis signum existimat, ut ex solo jam aspectu aegri morbum dignovisse, nec unquam se opinione deceptum contendat. Monet ille tamen et absente hydrothorace palpebras inferiores

1) Itard Dict. d. Sc. med. T. 23. p. 499. — 2) P. Frank I. c. — 3) Samml. Auserl. Abh. Bd. XVI. p. 479. — 4) Neue Samml. auserl. Abh. 1829. XII. Bd. p. 692.

nonnunquam tumidulas apparere, id quod ex pinguedinis strato oriatur: — differre vero intumescentiam praesente hydrope, eo, quod sit pallida, pellucida, quod similis pallor et circa nasum et labia appareat, atque circa maleolos. pedes oedematose intumescent, et quidem saepe jam in exordio morbi, quod tamen, cum intumescentia haec parva, et mane solummodo appareat, aegri et medici attentionem saepe fugiat.

Non raro in stadio morbi proiectiore oedematose tumidae extremitates erysipelatosa corripiuntur inflammatione, mox in gangraenam abitura. Nonnullis in casibus epidermis in extremitatibus oedematosis rumpitur, et serum effluit. Quid quod, visum est etiam, serum absque excoriatione ex poris cutaneis prosiliisse magno cum levamine aegrorum ¹⁾.

Tumor hypochondriorum. Si serum magna copia in thoracis cavo accumulatum habetur, pondere tum suo premit diaphragma, hoc vero ventriculum, et quidem nonnunquam adeo ut exinde abdomen distinete intumescat, lipothymiae, vomituritiones aut et ipsi vo-

Facilis commixtio cum Ascite. mitus accedant. Apparitione horum sympto-

matum facile medicus haud ita peritus in errorem duci possit et morbum false pro hydrope ascite habere. Illustrabit vero diagnosin, si medicus utraque manu abdomen amplectens, illud sursum versus comprimat, tunc etenim disparebit intumescentia abdominis et illius loco saepe distentio muscularum intercostalium in conspectum veniet ²⁾.

Pulsus. Pulsum extra insultum asthmaticum saepe plenum durum esse diximus. Caveas ne hoc pro signo inflammationis aut plethorae false accipias ³⁾.

1) Berends I. c. p. 97. — 2) Richter I. c. p. 208. —
3) Stoll I. c.

Provenire vero videtur haecce pulsuum conditio ex majori vi, qua cor utitur ad promovendum sanguinis cursum per vasa pulmonum, modice adhuc compressorum — Tempore insultus asthmatici pulsus contracti tanguntur. Morbo jam proiecto continuo debiles, vix sensibles.

Inter majoris momenti signa ad hydro- Fluctuatio- thoracem cognoscendum ponunt auctores undulatio- nem aut fluctuationem, quam aegroti cum corpus for- titer concutiat, aut cum illi ex uno in alterum latu se vertant, persentiantur¹⁾. Nonnulli strepitum ab adstantibus etiam audiri posse asserunt²⁾. Hippocra- tes³⁾ jam jussit aegrum in firma sella collocatum hu- meris comprehendi, corpus valide conquassari, simulque lateri aures admoveri, ut strepitus seri in alterutro pectoris cavo collecti audiatur. Accuratus rem describit Stoll⁴⁾ Ait enim, numerosis experi- mentis evictum se habere, si serum in uno cavo tho- racis solummodo collectum habeatur, et quidem co- pia non praemagna, cum corpus aegri ad commotio- nes preferendas nondum impar, et aeger nec admo- dum obesus nec admodum muscularis atque sine magnis incommodis a medico circumverti possit, fluctuationem, admota propius aure distinete percipi posse. Recentissimis temporibus tamen Laenec⁵⁾ numerose institutis experimentis persvasionem nactus est, per commotionem corporis tunc solummodo fluctuationem audiri posse, si cum fluido seroso et gaz aliquod pectoris cavo inclusum habeatur (in Pneumo - hydrothorace) — Assentiuntur huic opi-

1) P. Frank §. 739. I. c. et Cullen Op. c. §. 1702. —

2) Van Swieten. Comm. ad Boert. Aph. T. III. §. 1187. —

3) Lib. III. De morbis C. XV. — 4) I. c. p. 88. — 5) I. c.

nioni Lorinser¹⁾ et Andral²⁾). Accidit facile, ut undulatio fluidi in ventriculo collecti pro fluctuatione seri in thorace falso accipiatur. Error talis ut evitetur, aegrotus jejuno ventriculo explorationi subjiciatur necesse est³⁾) Bene erit etiam, Stethoscopum, fluctuationem quae nuda aure aegre perespicitur, facilis detegentem, dum corpus concutitur, vicissim pectori, et ventriculi regioni admoveare, quo modo facile fons fluctuationis detegitur.

Sunt qui undulans serum in pectore collectum applicata manu se deprehendere posse credant, et eo consilio proponant, ut applicata alterius manus vola costis prope sternum, altera manu dorsum aegroti pulsetur. Alii denique consilium exhibent, ut pronato trunco aegroti jejuno ventriculo, applicetur palma manus regioni scrobiculi cordis, tunc etenim undulationem seri diaphragma versus impulsi, distincte sentiri posse autumant⁴⁾).

Quamvis ex tali exploratione, certas conclusiones derivare difficile videatur, gaudet tamen auctoritate clarissimorum virorum⁵⁾ quare minime negligendum esse arbitramur. Veroque simillimum est, undulationem in regione costarum brevium, cum sub pondere magnae aquarum copiae, diaphragma insigniter depresso sit, facilis persentiri posse⁶⁾.

Pressio abdominalis Observatio a veteribus jam medicis facta, individua hydrothorace seu vitiis cordis laborantia, si ventriculus oppletus sit, magna incommoda et sensationem ingratam suffocationis experiri,

— 1) Die Lehre v. den Lungenkrankheiten. Berlin. 1823.
— 2) Op. c. p. 580. — 3) Bell. — 4) Recepte und Curarten V. IV. p. 191. cit. Richter I. c. — 5) Frank - Stoll - Cullen. I. c. — 6) Richter I. c. —

celebri Bichato¹⁾ in mentem venire fecit, applicandam esse pressionem abdominalis ad cognoscendos morbos pectoris praesertim Hydrothoracem. — Eo scopo jubet premi abdomen, in regione hypochondriaca sursum versus, quo fit, ut diaphragma subito sursum protrusum, cavitatem thoracis minorem reddat, atque serum hoc modo drepente versus pulmones impellatur; ex quo vero oriuntur angustiae, tussis magna, rubor faciei et suffocationis gradus major vel minor, quae omnia absoluta pressione, evanescent. — Methodus haec nunquam nobis aliquid certi indicat eo magis, quum et apud sanos sed sensibiles et delicatos pressio abdominalis majorem minoremve suffocationem causari possit; caeterumque incommoda quae haec pressio aegris causatur, illius usui jam adversantur²⁾. Quare, merito Laenecius³⁾ methodum hanc, ingeniosi viri infelicem vocat ideam. — Nihilominus tamen sunt qui praestantiam pressionis abdominalis in hydrothoracis diagnosi admittant⁴⁾; si quis igitur illa ad cognoscendos morbos uti velit, sciat oportet, in nonnullis casibus ubi adeo copiosa est seri in cavo pleurae accumulatio, ut diaphragma depresso, hepar extus protrudat, tempore pressionis in regionem hypochondriacam dextram exsertae, obortum dolorem falsam suspicionem de aliquo malo hepatis movere posse, eodemque medicum hujus rei ignorantum, in errorem facile trahere — qualem a docto quodam medico commissum ipse Bichat vidi.⁵⁾.

1) Roux Mémoire sur la pression abdominale in Mélanges de Chir. et de Phisiol. Paris 1809. p. 196. — Germ. in Neue Samml. auserl. Abh. f. pr. Arzte 1 Bd. 1 St. p. 31. —

2) Roux l. c. p. 58. ait miseros aegros maximo cum metu appropinquantem vidisse Bichatum ipsos exploraturum, quippe ingentes inde dolores movebantur. — 3) Op. c. T. 1. p. 14. — 4) J. Frank l. c. p. 693. 5) Cfr. Roux l. c.

De exploracione ope stethoscopi. Quam primum effusio aquarum in cavo pectoris unius lateris formari incipit, strepitus respiratorius in hoc latere debilior fit, atque gradatim eo magis qno magis copia aquarum, increscit — donec illa in magnum aucta, omnis evanescat¹⁾. In locis vero ubi nulla adest effusio, sic dicta puerilis auditur respiratio, crebrae scilicet et parvae inspirationes et exspirationes quas peragit pulmo nondum compressus, interruptam alterius exhibens functionem — Essentiale vero et characteristicum signum seri in cavis pleurae collecti est Laenecio sic dicta Aegophonia (*αιξ, αιγος capra γωνη vox*) seu vox caprina²⁾ Consistit illa in resonantia peculiari vocis, quae concomitatur aut sequitur aegri loqueland: percipit auris explorans vocem magis acutam magisque acerbam et quodammodo argenteam, trementem sicuti vocem caprae. Distinguitur hocce phaenomenon in toto ambitu pectoris, in alterutro aut utrisque lateribus: saepissime tamen auditur in regione, quae inter scapulam et columnam vertebralem incipiendo in spatio trium digitorum circa inferiorem scapulae angulum, in directione costarum ad sternum usque extenditur³⁾. Regio etiam haec vel maxime illi pectoris parti respondet, in qua, aeger si sedeat aut procumbat, maxima serositatis pars accumulatur⁴⁾ Distinctissime Aegophonia percipitur, si quantitas liquidi serosi in cavo pleurae mediocris est, illa vero copiosa aut admodum parca, minime.

Aegophonia quanquam ad certissima pertinet hy-

1) Andral Op. c. p. 569 monet sat insignem aquaram copiam in pectore posse includi, quin tamen respirationis strepitus ex toto auferatur: — semper tamen ille debilior redditur, quam in statu normali. — 2) Laenec op. c. T. 1. p. 33. — 3) Laenec l. c. — 4) Lorinser l. c. p. 327.

drothoracis signa ¹⁾ est tamen symptoma quod magna in exploratione experientia indiget; difficile etenim detegitur, difficilius adhuc distincte cognoscitur, et saepissime cum bronchophonia, quae illam concomitari solet, confunditur ²⁾.

Andral tamen hujus signi valorem comprobavit, in numerosis enim suis observationibus ³⁾ phaenomenon hoc distincte audivit. Quare hoc diagnosis subsidium vel maxime commendandum esse credimus ⁴⁾.

Strepitus respiratorum quod attinet, haec porro notanda sunt. Secundum diversum, quem pulmo ab aquis collectis e normali positione repulsus, acquirit situm, variant etiam phaenomena, quae offert stethoscopus, quoad praesentiam vel absentiam strepitus respiratorii in diversis locis. Et quidem, plerumque pulmo ad columnam vertebralem protruditur, atque tunc in illius regione strepitus respiratorius percipitur: — nonnunquam pulmo directus retrorsum pellitur, atque costis sub forma lamellae adhaeret ⁵⁾ tunc respiratio ad anteriora non percipienda, in posteriore laterum parte auditur, semper tamen debilius quam in statu normali. Praeterea notu dignum, haud raro in nonnullis singulis locis explorantem medicum distincte respirationem percipere, minime vero in aliis vicinis. Phaenomenon hoc eo ex fonte oritur, quod in istis punctis fortuito, vel uti soboles praegressae phlogoseos pleurae, pulmo cum pleura costali con-

1) „Signe tout à fait pathognomique.“ Laenec. Op. c. T. 2. p. 374. — 2) Collin die Untersuchung d. Brust a. d. Fr. v. Bourel. Köln 1828. p. 49. — 3) Andral op. c. obs. 4. 5. 7. 8. 9. 12. 15. 16. 21. 26. 30. 32. 33. — 4) Inter explorationum memor esto regulae a Laenecio praescriptae, ut altera extremitas stethoscopi stricte atque fortiter pectori applicetur, alteri vero auris leviter imponatur. (T. 1. p. 30.) — 5) Andral l. c. p. 570.

crevit, quo fit, ut thoracis parietes in hisce locis a pulmone non sejuncti, strepitum respiratorium in acusticum tubum propagandi facultatem non amittant¹). Observatio haec bene notanda, maximi enim est momenti hoc in genere, quod, si operatio paracenteseos thoracis instituenda sit, indicat optime spatium, in quo operatio fieri non debeat, nisi, pulmonem laedere velimus, et in quo loco illa tutius perfici possit.

Percussio. Thoracem percussum, praesente sero obtusum sonitum, ac si dolium plenum percuteretur, praebere, diximus. Nihilominus tamen percussio methodo Auenbruggeri peracta haud ita certa nos docet, ob difficultates et incommoda, quae praebet, eo ex fonte praecipue, quod pectus aegroti immediate percutitur. Qua de re recentissimis temporibus medicus Gallicus Piorry, ideam concepit introducendi in usum percussionem mediatam²) Methodus haec longe praestantior est altera, distinctius enim sonos percipi facit, et multa incommoda tam ex parte aegri quam explorantis, tollit. Quum vero adeo vulgatim, uti debet, nota non sit, operae pretium erit de illa quantum licet, fusjus disserere. — Consistit percussio mediata in impulsibus Plessimetro³) thoraci imposito datis, provocandi soni gratia, qui quum ratione conditionis organorum pectoris variet, illorum abnormitates eo modo indigitat. Plessimetrum vero sistit lamella, qualiscunque materie sonum conducendi capacis, ex. gr. lignea, metallica, cornea et. s. p.; omnium vero optima est eburnea

1) Cfr. notam Boureli ad Op. c. Collini p. 97. 2) Piorry la percussion médiate Paris 1828. 3) απλησσω pulso, et μετρον mensura.

uti sonora, debita pollens duritie et in percussione metallico carens tinnitu¹⁾) Instrumentum hoc loco examinando applicatum ita teneatur et adprimatur, ut cum illo unum quasi efficiat corpus; — loca inaequalia linteo carpto seu gossypio impletur, neque enim hoc applicando plessimetro, sonorumve conductibilitati nocet. Adpositus plessimeter sustinetur manu sinistra, summis autem apicibus digitorum manus dextrae percussio fit, (vel solo indice vel primis duobus digitis conjunctis) Singuli impulsus citissime fiant necesse est²⁾ Tali modo percussus thorax in statu sano, variis in locis varios edit sonos, modificatos scilicet varietate organorum, quibus regio percussa respondet; sunt vero soni illi peculiares: pulmonalis, cardialis, hepaticus e. s. p. Principales isti soni organa sana respicientes medico bene nota sint necesse est, ut postea de affectione justum ferat iudicium. — Quoad praestantiam hujus methodi in facilitanda diagnosi hydrothoracis, experimenta a Piorry tum in vivis tum in cadaveribus instituta probarunt, thoracem, descripto modo exploratum, si totum cavum sero impletum sit, sonum reddere obscurum in toto ambitu, fere similem hepatico. Si effusio est parca, sonum tunc repieres medium inter illum, quem cor offert, et quo pulmo resonat. Resonantia haec in inferiori parte fluidi est debilior, paulo clarior percipitur, quo magis superficie seri, in cavo pectoris collecti, appropinquamus, supra quam sonus naturalis,

1) Forma optima plessimetri est se-quentis: lamina eburnea rotunda, in duobus punctis sibi oppositis praedita duabus prominentiis perpendicularibus, quarum superficies externa est concava ut facilius digitos convexos suscipiat. Si talis medico sub manu non sit, qualicumque lamella, ex. gr. moneta aliqua. uti potest. 2) Ungues eurlissime absindendi sunt, nam sonum corrumpunt. Piorry l. e.

purus, qui proprius est pulmoni sano, observatur (nisi fortuito pulmo affectione quadam laborat) Diversitas haec soni adeo clare discernitur ope percussionis mediatae, ut linea, qua separatur pars cavi sero repleta, ab illa, quae sero caret, linea scilicet superficie fluidi parallela, designari possit¹). Linea haec in situ aegri horizontali, axi trunci parallela est, eidem vero perpendicularis in erecto. Resonat thorax obscure in parte posteriore, clarus in anteriore dum aeger decumbit dorso; contrarium est si aeger pronus decumbit; obscurius denique in inferiore, clarus in superiore parte, si aegrotus erectum servat situm. Varietas talis sonorum secundum variam aegri positionem characteristicum sistit hydrothoracis signum. Certitudinem hujus methodi demonstravit Pierry coram adstantibus clarissimis Lisfranc Fodera²) Andral³) Manec, Jules de Dervieux⁴) et aliis⁵); in cadaveribus enim ad amussim designavit ope percussionis mediatae, lineam superficie fluidi in cavis pectoris collecti; supra hanc lineam, aperto thorace triquetra acu, effluxit fluidi nihil, infra illam vero effluxit. In vivis etiam percussionis praestantiam comprobarunt praeter Pierry: Andral et Barry⁶). Ex his omnibus elucet, quam magni sint momenti signa, quae percussio mediata suppeditat in hydrothoracis diagnosi. Minime negamus, methodum hanc exercitio per aliquod tempus indigere; — quum vero praestantissima nobis praebeat signa in morbi exordio, ubi alia symptomata ambigua sunt, et eo modo morbum tempore quo curatio facilior, detegat, operae

1) Hinc plus minus et quantitas fluidi definiri posset.

2) Cfr. Pierry Op. c. p. 68. 2. expérience. 3) 3. expérience.

4) 8. exp. 5) 9. expérience. 6) In Pierry Exp. 10 a Barry communicata.

parcere haud licet. His praemissis criteria ope percussionis mediatae in hydrothorace suppeditata maxi-
mi esse momenti, neminem credo negaturum. —

Quo ad decursum hydrothorax, uti diximus, est vel acutus vel chronicus. Praeterea dividitur in idiopathicum et symptomaticum. — Hydrothorax idiopathicus, primarius, admodum raro occurrit „Inter viginti hydro-
pis cavitatum pleurae exempla, vix semel morbum istum primarium invenies ¹⁾“ Laenec ²⁾ contendit, hydrothoracem idiopathicum ad eum gradum evectum, ut mortem pedissequam habeat, adeo rarum esse, ut inter duo millia cadavera vix unum hujus generis inveniri possit. Saepissime hydrothorax ab aliis pro-
motus est morbis, qui vel praecesserunt vel adhuc existunt, quo fit, ut imago morbi magnopere turbe-
tur, et diagnosis difficilior reddatur. In itali malorum complicatione nonnisi exquisita notio sympto-
matum in genere praesentiam seri in pectore indi-
cantium supra fuse descriptorum, accuratissimum ex-
amen morborum praegressorum, et praecipue diligen-
tia vel maxima in observando decursu morbi praes-
sentis, lumen quoddam afferre potest: maxime vero hic valet experientia et sic dictus visus practicus.

Differentiae hydropis cavitatum pleurae ab aliis morbis pectoris.

Empyema maximam cum hydrotho-
race alit similitudinem, utriusque enim morbi
principalia symptomata sistunt phaenomena,
quae progignit fluidum in cavo pectoris libere effu-
sum; quare morbus unus ab altero dignotu admodum
difficilis, id quod interdum fieri plane nequit ³⁾. Se-

¹⁾ J. Frank Op. c. p. 696. ²⁾ I. c. ³⁾ J. Frank I. c.
p. 699. — Schmalz in suis tabulis diagnosticis nullas
ad fert differentias.

Distinctio
hydrothora-
cis ab Empye-
mate.

quentibus tamen distingvi posse autumant nonnulli: eo seilicet, 1) quod empyema formandum praecesserit necesse est inflammatio, cuius existentia medici attentionem fugere nequaquam potuit¹).

2) Praecesserunt signa, quae formationem puris illiusque praesentiam indicant.

3) Ubi empyema ex rupta vomica ortum habet, vomicae et ruptionis illius signa, attentionem medici et aegri fugere haud potuerant.

4) In hydrothorace, quae tussi ejicitur materies, est aquosa et mucosa, in empyemate purulenta vel ichorosa²).

5) Hydrope affectus aeger, vel doloribus caret, vel illos vagos in pectore queritur; in empyemate saepissime dolor in pectore est fixus³). — Haec tamen omnia cum certitudine, qui uterque morbus dignoscendus sit, non docent. Libenter vero assentimur opinioni cl. Itard diathesim serosam, quae saepissime in hydropicis observatur, certissimum sistere criterium, quo hydrothorax ab empyemate diagnosci queat.

*Dist. hyd.
droth. ab
Asthmate.* Asthma spasmadicum differt ab hydrope cavi pectoris sequentibus.

1) Insultus praesente hydrothorace sunt remittentes, dyspnoea fere continua observatur; — in asthmate vero insultus per aliquod durant tempus, postea vero exintegro cessant; sunt igitur intermitentes⁴).

2) Urina hydropici parca, turbida, — asthmatici copiosa pallida⁵).

3) In hydrothorace accusat aeger sensationem

1) Itard l. c. 2) Dreissig Handbuch d. med. Diagnostik. Erfurt 1801 T. 1. p. 396. 3) Dreissig l. c. 4) Dreissig l. c. T. 395. 5) J. Frank l. c. p. 773.

peculiarem ponderis pulmonem prementis, illiusque, tempore inspirationis, dilatationem sufficientem prohibentis. In asthmate status spasmodicus organorum respirationi dicatorum cognoscitur ex ingrata sensatione constrictio*n*is in pectore ¹⁾.

4) Intumescentiae oedematosae, dolores vagi ad scapulam, bronchia, et alia mala, quae hydrothoraci superveniunt, in asthmate non observantur. Caeterum qui adhibendi Stethoscopi et plessimetri experientiam nactus est, utrumque morbum facile discernet. —

Angina pectoris differt ab hydrothorace ^{Distinctio hydr. ab Angina pect.} quod illa insultibus certis ingruit, qui bus peractis aeger nullam respirationis turbationem queritur et fere sanus habetur ²⁾. Insultus hos non provocat uti in hydrothorace aëris humiditas vel frigus, sed potius vivi motus corporis, et animi pathemata ³⁾. Aegrotus cum tussi nil ejicit: conqueritur de subitanea constrictione et dolore ingente sub sterno, qui medium pectus transire videtur, ad scapulam sinistram, nonnunquam ad cubitum digitosve sese extendit. Morbus hic praeterea in nexu est cum malo arthritico, id quod rarum in hydrothorace. Hydrops pectoris magis infestare foeminas dicitur ⁴⁾, Angina pectoris saepissime mares ⁵⁾. Percussio et auscultatio mediata denique diagnosin illustrant. —

Si aqua colligitur in tela collulosa inter pleuram et musculos intercostales, costasque hydro- ^{Hydroth. spuruis.}

1) Dreissig p. 395. — 2) Kreisig Krankheiten d. Herzens system. bearbeite T. 3. p. 519. — 3) Dreissig l. c. — 4) Dreissig l. c. — 5) Wichmann Ideen zur Diagnostik. 2 Bd. p. 148. —

thorax spurius audit. Dignoscitur eo, quod extus oedemata
tosa formatur intumescentia, quae sensum fluctuationis
offert ¹⁾ et quod pressio hujusce intumescentiae dys-
pnoeam adauget ²⁾ Deest etiam iste sensus ponderis
diaphragma versus, qui hydropem cavitatum pleurae
fere semper comitatur. — Si fluidorum collectio in-
signis, caetera symptomata, quae in hydrope cavi
pleurae — Malum hoc raro accidit ³⁾.

Hydrops Mediastini anterioris; sistit sem-
per exitum pleuritidis sic dictae sternalis. Aeger dum
erectam servat positionem conqueritur de sensatione
ingrata pressionis supra diaphragma in medio pec-
tore; in situ supino, praecipue vero si dorso inniti-
tur, augetur dyspnoea et oppresio, — dum vero ab-
domini incumbit, respiratio facilior evadit, et anterior
pars thoracis pondus aquae excipit; — si aeger po-
sitionem in unum alterumve latus eligat, deorsum
defluere sentit aquam, nisi in cellulis segregatis in-
clusa sit ⁴⁾.

Hydrops mediastini posterioris. Aqua
in postertori mediastino collecta pressionem exserit
in aortam, traheam et oesophagum, qua eorum func-
tiones laeduntur. Aqua pedetentim in telam cellu-
losam musculos dorsales ambientem, diffunditur ⁵⁾.

Caeterum rarissimi sunt casus accumulationis
fluidi in mediastinis, quin simul in saccis pleurae
habeantur aquae. —

Hydrops pulmonum vel Hydropneumonia.

Fluidi serosi quantitas magna, ad parenchyma

1) Richter I. c. — 2) Schmalz Op. c. No. 857. —
3) Richter I. c. p. 234. — 4) P. Frank I. c. p. 247. —
5) P. Frank Richter I. c.

pulmonum effusa Hydropneumoniam sistit¹⁾. Est saepissime male resolutae pneumonitidis, catarrhi, vel menstruorum fluxus suppressi, soboles — oritur non-nunquam ex abusu spirituosorum, praesertim vero afficit individua leucophlegmatica. — Subdividitur in **Hydropem Bronchiorum** si ramuli bronchiorum serum amplectuntur — et **Oedema pulmonum** (aliis Anasarca pulmonum) si fluidum telam cellulosam adimplet.

In genere hydropneumoniae symptoma^{s p t a h y-}
mata haec sunt: Respiratio brevis, difficilis^{d r o p n e u m o-}
cum sensu ingentis pectus prementis ponderis — seu
uti aegri eloqui consueverunt, tanquam pondus in
pectore pendeat²⁾ Dyspnoea haec in exordio morbi
jam adest, et continue aegrum vexat³⁾. Exigua enim
seri in parenchymate pulmonum inclusi quantitas,
magis illius functionem impedit, quam major seri
copia in thoracis cavum effusa⁴⁾. Vel minimum
corporis exercitium dyspnoeam adauget, majus
apnoeam inducit. Characteristicum vero morbi istius
est signum, positionem aegros posse libenter quae-
rere, vel in dorsum vel in latera, quin alia respira-
tionem faciliorem, aliave difficiliorem reddat⁵⁾ Ae-
grotus sensum frigoris interni accusat⁶⁾ Pulsus exi-
gui⁷⁾ tardi et semper molles⁸⁾ tanguntur (nunquam
pleni duri et frequentes, uti in hydrope cavitatum
pleurae evenit) Profunda inspiratio impossibilis fere,
inter ipsum enim conatum, constrictio pectoris auge-
tur; spiritus quasi interrumpitur derepente⁹⁾. Tus-

1) Laenec Op. c. T. I. p. 155. — 2) Schmalz Op.
c. No. 852. — 3) Berends I. c. — 4) Burserius Op.
c. T. IV. §. 1801. p. 169. — 5) P. Frank — Berends I. c. —
6) Schmalz I. c. — 7) P. Frank I. c. — 8) „Stets weich“
ait Berends op. c. V. v. p. 100. — 9) P. Frank.

sis major minorve — facies et extremitates oedematose tument, non raro et regio supraclavicularis ¹⁾ facies praeterea livet — Fluctuatio in pectore percipitur nulla. — Stethoscopo admoto, strepitus respiratorius in toto viscere vix distinguendus — sed in dorso praesertim, et partibus inferioribus stertor debilis subcrepitans observatur ²⁾. Percussio sonum detegit obscurum, cardiali proximum ³⁾, haec vero soni obscuritas ratione positionis aegri non mutatur, quo morbus hic ab hydrope cavi pleurae tanto facilius distingui poterit.

In hydrope bronchiali tussis est fortis, respiratio sibilosa, vox evidenter mutata. Cum tussi ejiciunt aegri insignem ⁴⁾ seri spumosi aut muci copiam, cum magna euphoria ⁵⁾ Materies haec quoad consistentiam et colorem albo ovi in pari quantitate aquae soluto analoga videtur ⁶⁾.

In oedemate pulmonum expectoration est parca et nullum aegro affert levamen; respiratio difficilis, et quamquam thorax late distendatur, admodum debilis.

Difserit hydropneumonia a pneumonide, qua cum plura habet symptomata communia, sequentibus:

1) Desunt in hydropneumonia febris et signa generalia inflammationis, quae pulmonum phlogosin comitantur.

2) In peripneumonia aegrotus, si unius lateris patitur pulmo, in hocce, utroque affecto, in dorsum

1) Richter l. c. — 2) Laenec l. c. — 3) Piorry l. c. —
4) Baynton memorabile exemplum hujus generis in foemina observavit, quae post suffocationis insultum, tussis ope quatuor vel quinque mensuras (pints) seri spumosi rejicit (Vide J. Frank Op. c. p. 711. Nota 100). — 5) P. Frank l. c. — 6) Laenec. T. 1. p. 157. —

decumbit, ut hoc modo in dyspnoea insigne afferat sibi levamen: in hydropneumonia vero ex vario situ nullum in respiratione nascitur discriminem. —

3) Sputa, ex aspectu similia sputis pneumonico-rnm, magis tamen sunt liquida, neque ita viscosa ¹⁾.

4) Stertorem, qui revera stethoscopi ope in primo pneumonitidis stadio et ipse percipitur, magis siccus, quam in hydropneumonia appareat, in hac enim cum aure examinantis bullae majores, et sensatio manifesta humiditatis, communicantur ²⁾.

Quo differat hydropheumonia ab hydrope cavitatum pleurae, ex utriusque descriptione elucet.

Hydropericardia.

Serum notabili quantitate ob praegressam chronicam aut acutam pericardii inflammationem, in illius cavo utplurimum colligitur. ³⁾. Praeterea morbus iste morbis organicis cordis saepissime adsociatur — in cadaveribus enim hominum organico quodam cordis vitio diu laborantium, deinceps praegressa valida exacerbatione subito e medio sublatorum, intra pericardium fere semper aquae collectae reperiuntur ⁴⁾; en igitur causam, cur symptomata hydropericardiam praecedentia eamque concomitantia, quae scriptis auctorum sunt mandata, diversissima sint. Dantur tamen, quanquam raro, exempla hydropericardiae simplicis quam quidem nullum vitium organicum comitabatur, descripta a Sidrenio ⁵⁾ Morgagnio ⁶⁾ Maz-

¹⁾ Laenec. p. 157. — ²⁾ Laenec p. 158. — Collin, l. c. — ³⁾ Hydropericardiam saepissime oriri in puellis tempore praesertim pubertatis ingruentis, dicentem audivi cl. Pr. Wendt Vratislaviae. — ⁴⁾ Kreisig Cp. c. T. 2. p. 437. — ⁵⁾ In Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte VIII. Bd. 3 St. p. 567. — ⁶⁾ Ep. XVI. Nr. 43.

zio ¹⁾ Bertinio ²⁾ et aliis ³⁾; et haec praecipue ad designanda symptomata illi peculiaria, quibus ab aliis morbis cordis discerni queat, nobis inserviunt. En praestantissima hydropericardiae symptomata. Aeger conqueritur de sensatione ponderis in regione cordis diaphragma versus urgentis, et de dyspnoea insigni, continua, quae inter quemcunque vel minimum corporis motum, et situs mutationem, suffocationem minatur, atque summum anhelationis gradum procreat, — pulsus inaequales, intermittentes, parvi, celeres et duriusculi tanguntur. Pulsationes cordis obscurae tumultuosae, in extensione ampliori sensibiles, atque certis momentis magis uno puncto quam in aliis, modo dextro, modo sinistro latere, ad explorantis manum, quasi per corpus aliquod molle, pervenientes. Tussis nulla vel modica et sicca, facies tumet ⁴⁾, rarius oedematose tumet regio anterior et sinistra thoracis ⁵⁾. Decubitus in lateribus moleste fertur ab aegroto, in dorso facilis, saepissime vero eligit aeger situm sedendi corpore antrorum flexo et libere pendentibus pedibus ⁶⁾. Aegri queruntur de sensu peculiari, quasi cor in aqua nataret: vel ut foemina hydropericardia laborans Petro Frank asseruit, sibi videri pommum in aqua hinc illuc agitari. — Nonnunquam tempore pulsationum cordis undulatio sentiri potest. — Adsunt praeterea alia generalia morborum cordis signa: livor circa oculos, pallor labiorum, extremitatum frigus, extenuatio universalis, anxietas

1) In Samml. aus. Abh. XV. Bd. 1 St. p. 71. — 2) Traité des maladies du coeur et de gros vaisseaux Paris 1824. p. 265 et 378. Obs. 62 et 63. — 3) Vid. P. Frank I. c. Exempl. 3 et 4. 4) Testa über d. Kr. d. Herzens, ein Auszug aus d. Ital. mit Anmerk. v. Sprengel. Halle. 1. T. p. 267. 5) Pinel Nosographie phil. 5. edit. Paris 1813. T. 3. p. 514. 6) Kreisig Op. T. 3. p. 643.

praemagna, somnolentia et saepissimae lipothymiae. — Percussus thorax sonum offert obtusum ¹⁾, Stethoscopus nil certi detegit. Pressio abdominis (methodo Bichati) accessus suffocationis provocat ²⁾.

Jam quaedam de symptomatibus in specie: ^{Sensus pon-}
 Sensus ponderis in regione cordis Alber- ^{deris.}
 tini ³⁾ Corvisart ⁴⁾ et plures alii, characteristicum si-
 gnum tradidere. Revera nulla nobis historia hydro-
 thoracis est nota, in qua de isto symptomate men-
 tio non sit facta. Testante Kreisigio et in aliis mor-
 bis uti Aneurysmate hoc phaenomenon habetur; in
 hydropericardia vero continuus est morbi comes, in
 aliis minime.

Dyspnoeam, si ab aquis pericardio colle- ^{Dyspnoea.}
 ctis non cor solum sed et pulmones comprimi re-
 spexeris, praemagnam saepe fieri non miraberis. In-
 ter corporis motum dyspnoea, potius apnoea, ingruit,
 concomitante sensatione pressionis et doloris, atque
 maxima anxietate; — quae omnia, aegroto ad quie-
 tem disposito, levantur, aut evanescunt ⁵⁾. Differt
 vero talis suffocationis accessus ab illo, qui in hy-
 drope cavi pleurae evenit, quod in hoc, anxietas cha-
 racteristicum cordis morborum omen, non adeo di-
 stincte ut in hydropericardia pronunciatur; nisi for-
 tuito aliquod vitium cordis hydrothoracis complica-
 tionem efficiat.

Pulsus arteriarum in hoc morbo a variis, ^{Pulsus.}
 variis decsribuntur, quod ex facili mutatione pulsuum
 ratione discrepantium conditionum et complicationum,

1) Piorry p. 137. 2) Roux l. c. 3) Acta Bononensia T. 1. p. 386. ap. Kreisig. 4) Essais sur les maladies du coeur et des gros vaisseaux, Paris 1818. p. 38. 5) Alber-
 tini l. c. p. 389.

proficiscitur. Illos in hoc morbo inaequales esse, inter omnes constat.

Pulsatio cordis. Motum cordis quod attinet, nonnulli autores¹⁾ pulsationem cordis validam essentiale ducunt symptoma — cui rei alii²⁾ non adstipulantur. Plurimi immo observatores pulsationes cordis turbatas, vix distinguendas, tremulasque inveniunt³⁾, seu tanquam pulsationes cordis, mediante vesica aqua repleta, percipientur⁴⁾.

Undulatio. Quoad undulationem tempore pulsationis cordis, Senac⁵⁾ inter tertiam, quartam et quintam costam undas aquae pericardio contentae sese vidisse ait — post illum nemo. — Verosimilius contendit Corvisart undulationem se tactu perceperisse — praesertim Larrey⁶⁾ pulsationes cordis obscuras, undulationisque sensum, qualem apicibus digitorum, momento tussis intra quintam et sextam costam impressis, facile distingui posse credit, hydropericardiae pathognomonicum dicit signum, praecipue cum pulsus intermittens existat. Sundelin⁷⁾ denique in quatuor individuis hoc morbo laborantibus, vola manus cordis regioni applicata, undulationem distinctam, et praeterea inter quamdam cordis pulsationem, internam vibrationem fluidi sensisse se contendit.

Dolor in lumbis. Si aqua subito ad pericardium effunditur, idque magnopere distendit, mole sua adeo premit diaphragma, ut ejus appendices distractae, atrocem in lumbis dolorem excitant, — quem

1) Senac *Traité de la structure du cœur*. Paris 1749. R. p. 357. — Haase op. p. 830. — 2) Dimerbrock, We string — Sidren. — 3) Albertini — Cosvisart I. c. — 4) Ferriar *Neue Bemerkungen* 1 Th. p. 81. — 5) I. c. T. 2. Lib. IV. Cap. V. p. 361. — 6) Denkwürdigkeiten p. 628. 7) In Berends Vorl. V. Bd. p. 107.

nonnulli inter principalia ponunt symptomata. — Morgagnius ¹⁾ tamen demonstravit, dolorem talem omnem hydropericardiam nequaquam comitari.

In nonnullis casibus latus sinistrum thoracis, dextro elevatius et magis convexum reperitur ²⁾.

Percussio (ob sonum in cordis regione semper obscurum) et Auscultatio, vix aliquid ad morbi hujus diagnosin conferunt.

Oedema Cordis etiam existere posse ^{Oedema} testatur Bouillaud. Invenit enim saepius ^{Cordis.} telam celluloso — adiposam cordis, seroso latice imbutam in individuis, quae hydropoe anasarca laboraverunt. Nulla peculiaria symptomata vivente aegroto huncce cordis statum indicaverunt ³⁾.

Hydrothorax hydaticus.

Hydatides frequentiores in hepate et renibus, visae sunt etiam in pectoris cavo. Omnis hydatis constat ex vesicula molli rotunda seu ovali, magnitudinis variae, pellucido, aut variegato liquore plena. Aliae basim suam parenchymati pulmonum immergunt ⁴⁾ aliae pleurae adhaerent ⁵⁾ Dupuytrin et Geoffroy ⁶⁾ narrant in cadavere se reperisse pectus numerosis hydatibus obsessum adeo ut pulmones complanati ad latera, cor vero deorsum pressum fuerit: harum duae maxima a pulmonis acme ad

1) Epist. XVI. §. 45. — 2) Pinel Nosographie phil. T. 3. p. 514. 3) Boisseau Nosographie organique Par. 1828. T. 3. p. 66. — 4) Morgagni Op. c. Ep. LXIX §. 8. Haller de corp. hum. fabr. T. VI. p. 28). Stoll Ratio med. T. 3. p. 76. Ballie Anatomie d. Krankh. Baues. p. 94. P. Frank T. VI. p. 200. Laenec T. 2. p. 37. et alii. 5) Haase HI. Bd. p. 319. §. 1399. 6) Laenec 1. 319.

diaphragma se extenderunt et quinque vel sex minores incluserunt¹⁾.

Symptomata praesentiam hydatidum in pulmonibus designantia, iis parvis, minoris sunt momenti; majores dum evadunt, praeter signa generatim corporibus heterogeneis in pectore congregatis propria, provocant sequentia symptomata. Aegri, quorum pulmones hydatidibus obsessi sunt, catarrhis frequentibus obnoxii sunt, — queruntur saepius dolores in certis pectoris punctis vigentes, qui decubitum in latu, quo dolores isti saeviunt, prohibent. Catarrho finito, dolores evanescunt — occasione vero vel minima data denuo excitantur. Tussis comitatur sicca-respiratio laesa. Increscentibus hydatibus increscit dyspnoea, nec raro, praecipue dum scalas ascendunt, aegri suffocationis sensum, patiuntur. Accedunt: viarium momentanea delassatio, invitus maxillarum motus, oscitationem simulans, et continuus corporis tremor. Omnia haec tempore frigido ingravescunt, in leni temperie vero evidenter mitescunt. Appetitus non laeditur, — somnus inquietus, saepissime interruptus. Accessus strangulationis nonnunquam adeo vehementes evadunt, ut aegrum e medio tollant. Stethoscopo admoto strepitus respirationis in locis,

1) Laenec hydatides pulmonales ad vermes vesiculares pertinere autumat, et nomine Acephalocystes designat. Hydatides pro vermibus jam antea habuit Baillie (l. c. p. 136) quippe qui aqua tepida immersas, moveri distinete vidiisse se asserit, quod confirmavit nupetrime Percy. Ejusdem opinionis sunt etiam Bremser et Himly (Huf. Journ. Bd. XXIX. Hft. 12. p. 40.) Rudolphi vero (Entoz. sive vermium intest. historia naturalis Vol. II. P. II. p. 245. in addit) huic opinioni non assentitur — motum enim istum a calore gigni potuisse et praeterea hydatides interdum sedem sistere vermiculorum Echinocci vocatorum, affirmat.

hydatidum sedi respondentibus, non distingvitur. Ex percussione sonus naturali obscurior percipitur. Interdum illustrant diagnosin hydatides, quae in felicioribus casibus cum tussi ejiciuntur, uti docent exempla, quae narrant Baillie¹⁾ Beaugendre et Laenec²⁾.

1) l. c. p. 44. 2) T. 2. p. 320.

et rationibus non additibusque ibi multitudi-
ni multorum locorum silvulae vnde nomen
suum, et super sebibus sive conquisib[us] t[er]r[ae] nulli multist
matae in eis inveniuntur, raro audiret
"Cedrus ex oriente" C[on]siderat hanc autem plantam

CURRICULUM VITAE.

Ego STANISLAUS SALOMO KRONENBERG, veteri
fidei addictus, anno MDCCCIX Varsaviae patre
Samuele matre Thecla natus sum. Primis lite-
rarum elementis sub auspiciis domesticorum
praeceptorum imbutus, in Lyceo literis ad al-
tiora studia viam struentibus operam dedi. Ma-
turitatis examine superato, anno MDCCCXXV
Universitatem literarum Varsaviae quondam flo-
rentem adii, civibusque academicis facultatis me-
dicae adscriptus, sequentibus interfui praelectio-
nibus; de Anthropologia, Logica, Jurenaturali, Bo-
tanica, Mineralogia, Chemia, Physica, Anthropo-
tomia theoretica et practica, Anatomia compa-
rata, Physiologia, Pharmacia, Chemia politica et
forensi, materia medica, Toxicologia, Pharmacoc-
atagraphologia, Pathologia, Historia rei medicae,
Chirurgia theoretica, Morbis Epizooticis, medi-
cina forensi et politica, Arte obstetricia, Thera-
pia speciali et Akiurgia. Quarum quidem disci-

plinarum hisce potissimum usus sum ducibus
Viris illustrissimis: Szyrma, Schubert, Hoffmann,
Pawlowicz, Skrodzki, Jarocki, Rolinski, Celinski,
Mile, Tomorowicz, Szczucki, Jankowski, Woyde,
Fijackowski, Nowicki, Kaczkowski. In clinicis chi-
rurgicis, therapeuticis et artis obstetriciae per
biennium practice sum versatus. Ac postquam
concursus gratia, dissertationem conscripsi, palma
primi ordinis, consensu professorum adjudicata,
die XV Julii MDCCCXXX publice mihi conti-
git. — Examine denique rigoroso et practico
absoluto anno MDCCCXXX Medicinae et Chi-
rurgiae Magistrum Ordo medicorum Universita-
tis Literariae Regiae Alexandrinae Varsaviensis
me creavit, declaravitque, cuius rei testem
diploma accepi. — Mox bello propter patriae
salutem exorto, medici militaris munere fungens
signa patria sum sequutus, ac operam, pro virili
mea per omne expeditionis bellicae tempus, stu-
diosissime collocavi in ope afflictis militibus fe-
renda. Cujus rei praemum in me callocatum
est, quippe qui ordine aureo virtuti militari con-
secrato ornarer. Deinde exstincto bello Beroli-
num profectus ubi practicarum medicinae rerum
exercitationes subirem, frequentavi eum in finem
clinica chirurgica Ill. Rust Ill. Graefe, thearpeu-
ticum Ill. Wolff, nec non proeside Ill. Jüngken

operationibus ophthalmiatricis privatim exequendis navavi operam. Jam vero superatis tentaminibus, rigorosoque examine, hancce pepigi dissertationem, theseque defendendas, summos in Medicina et chirurgia honores qui nanciscar, sum aggressurus.

T H E S S.

- 1) *Homo non nisi liber, corpore et mente sanus.*
 - 2) *Cholera non contagiosa.*
 - 3) *Caries quatenus solius ossis est morbus amputationem non indicat.*
 - 4) *Pleuritis revera existit.*
 - 5) *In fracturis nequaquam semper partes fractae statim in normalem situm sunt reponendae, in eoque sustinendae.*
 - 6) *Sectio infundibiliformis in amputationibus cito absolvendis, rejicienda —*
 - 7) *In bubonibus curandis, unguento hydrargyri ne utare, caveas.*
 - 8) *Febres substantivae existunt.*
-